



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De matrimonium quantum ad sponsalia. Quæstio 43.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

De matrimonio quantum ad sponsalia, in tres articulos diuisa.

Consequenter considerandum est de matrimonio absolute considerato. Vbi primo agendum est, de sponsalibus. Secundo, de matrimonij ratione. Tertio, de eius causa efficiente, scilicet, de consensu. Quarto, de eius bonis. Quinto, de impedimentis ipsius. Sexto, de secundis nuptijs. Septimo, de quibusdam matrimonio annexis.

¶ Circa primum quaruntur tria.

¶ Primo, quid sint sponsalia.

¶ Secundo, qui possint contrahere sponsalia.

¶ Tertio, utrum sponsalia dirimi possint?

ARTIC. I.

Utrum sponsalia sint futurarum nuptiarum promissio?

178

Tho. in 4
d. 27 q. 2
ar. 1. et
seq.
* lib. 9
etym. ca.
vlt.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod sponsalia non conuenienter dicantur futurarum nuptiarum promissio, ut habetur ex verbis Nicolai Papae. Quia sicut dicit Isidorus*, est aliquis sponsus, qui quia promittit, sed quia spondet, & sponsos dicitur. Sed a sponsalibus dicitur aliquis sponsus. Ergo matrimonium dicitur promissio.

¶ 2 Præterea, Quicumque promittit aliquid, debet compelli ad soluendum. Sed illi qui sponsalia contraxerunt, non compelluntur per Ecclesiam ad matrimonium complendum. Ergo sponsalia non sunt promissio.

¶ 3 Præterea, In sponsalibus quandoque non fit sola promissio: sed additur iuramentum, & aliquid arithmetice. Ergo videtur, quod non debuerint solum per promissionem definiri.

¶ 4 Præterea, Matrimonia debent esse libera & absoluta. Sed sponsalia quandoque fiunt sub aliqua conditione etiam accipienda pecuniæ. Ergo non conuenienter dicuntur promissio nuptiarum.

¶ 5 Præterea, Promissio quæ est de rebus futuri

viuperatur Iac. 4. Sed circa sacramenta non debet aliquid esse viuperabile. Non ergo debet fieri futurarum nuptiarum promissio.

¶ 6 Præterea, Nullus dicitur sponsus nisi à sponsalibus. Sed aliquis dicitur sponsus ex presentibus nuptijs, vt in littera dicitur *. Ergo sponsalia non semper sunt futurarum nuptiarum promissio.

li. 4 sent. d. 27.

RESPONDEO dicendum, quòd consensus in conjugalem copulam per verba de futuro, non facit matrimonium, sed matrimonij promissionem. Et hæc promissio dicitur sponsalia, à spondendo, vt dicitur Isidorus *. Nam ante usum tabularum, matrimonij cautiones dabant, quibus spondebant se inuicem conuincere in iure matrimonij, & fideiussores dabant. Et autem ista promissio dupliciter, scilicet absolute, & sub conditione. Absolute, quatuor modis. Primo, nuda promissione; vt cum dicitur, Accipiam te in meam, & e conuerso. Secundo datis arrhis sponsalibus, vt pecunia vel aliquo huiusmodi. Tertio, annu subarrhatione. Quarto, interueniente iuramento. Si autem fiat dicta promissio sub conditione, distinguendum est. Quia aut est conditio honesta, vt cum dicitur, Accipiam te, si parentibus placeat: & tunc stante conditione stat promissio; & non stante, non stat. Aut est inhonesta: & hoc dupliciter. Quia aut est contraria bonis matrimonij, vt si dicam, Accipiam te, si venena sterilitatis procures: & tunc non contrahuntur sponsalia. Aut non est contraria bonis matrimonij: vt si dicam, Accipiam te si furtis meis contentus: & tunc stat promissio, sed tollenda est conditio.

lib. 9. etymol. cap. ult. par. 1. a prim.

Ad primum ergo dicendum, quòd ipsa sponsalia à sponsorum datio est promissionis confirmatio: & hoc ab hoc denominatur quasi à perfectiori.

Ad secundum dicendum, quòd ex tali promissione obligatur vnus alteri ad matrimonium contrahendum; & peccat mortaliter non soluens promissum, nisi legitimum impedimentum interueniat. Et secundum hoc

hoc Ecclesia cogit, iniungendo penitentiam pro peccato: tamen in foro contentioso non compellitur, quia matrimonia coacta consueverunt malos exitus habere: nisi forte iuramentum interuenerit, quia tunc cogendus est, qsi promisit, vt quidam dicunt, quauis alijs non videatur, propter causam predictam, præcipue si de vxoricidio timeretur.

Ad tertium dicendum, quòd illa addita non sunt nisi ad confirmandam promissionem: vnde non sunt aliud, quàm promissio.

Ad quartum dicendum, quòd conditio illa quæ apponitur, non tollit matrimonij libertatem: quia si est inhonesta, debet abijci: si autem honesta, aut est de bonis simpliciter, vt si dicatur, Accipiam te si placet parentibus; & hæc conditio non tollit libertatem sponsalium, sed auget ei honestatem. Aut est de re libus, vt si dicatur, Contraham tecum si dabis milia centum; & tunc hoc non ponitur quasi ad vendendum consensum matrimonij, sed intelligitur vt promissio dotis; vnde matrimonium libertatem non perdit. Quandoque autem apponitur conditio pecunie per modum pœnæ: & tunc quia matrimonia debent esse libera, talis conditio non stat, nec potest exigi pœna illa ab eo qui non vult matrimonium conplere.

Ad quintum dicendum, quòd Iacobus non interdicit prohibere, quòd omnino aliquis nullam promissionem faciat de futuris: sed quòd non promittat quæ fiduciam habens de vita sua. Vnde docet, quòd debet apponi conditio, si Deus voluerit, quæ etiam si verbis exprimitur, corde tamen debet intelligi.

Ad sextum dicendum, quòd in matrimonio potest considerari ipsa coniunctio matrimonialis, & actus eius: & à sponcione primi in futurum, dicitur sponsus, à sponsalibus contractis per verba de futuro: & à sponcione secundi dicitur aliquis sponsus, etiam quando contractum est matrimonium per verba de presenti: quia ex hoc ipso spondet matrimonium actum.

adum:
proprie,
sicut exo
Vtrum t
A D fe
pus
sponsalib
diti si
al quos p
mes, v
ia. Er
ur post
2 Pr
ritur a
peccatu
Dialog
sponheni
cinq; an
3 Pr
arur. Se
per puell
um vtriq
4 Pr
traher
Sed f
reus ant
contr
5 Pr
trahian
empus pu
tranzua
in secunde
tia, sed r
se auer
6 Pr
tus, q
Suppi

atum: tamen à prima sponſione dicuntur ſponſalia proprie, quæ ſunt quædam ſacramentalia matrimonij; ſicut exorcismus, Baptiſmi.

ARTIC. II.

Utrum tempus ſeptenniij ſit conuenienter aſſignatum ſponſalibus contrahendis?

179

Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur, quòd tempus ſeptenniij non ſit conuenienter aſſignatum ſponſalibus contrahendis. Contractus enim, qui per alios fieri poteſt, non requirit diſcretionem in illis ad quos perinet. Sed ſponſalia fieri poſſunt per parricidas, utroque illorum ignorante, quorum ſunt ſponſalia. Ergo ita poſſunt fieri ante ſeptennium, ſicut poſſunt.

¶ 1. Præterea, ſicut ad contractum ſponſalium requiritur aliquis rationis uſus, ita ad conſentiendum peccatum mortale. Sed ſicut Gregor. * narrat in Dialogo, quidam puer quinque annorum, propter diſphemiam peccatum à diabolo extinctus eſt. Ergo ante ſeptennium poſſunt contrahi ſponſalia.

*lib 4 dia
log. c. 13.*

¶ 2. Præterea, ſponſalia ad matrimonium ordinantur. Sed in matrimonio non aſſignatur unum tempus puellæ & puero. Ergo nec in ſponſalibus ſeptennium utriusque aſſignari debet.

¶ 3. Præterea, Ex tunc aliqui poſſunt ſponſalia contrahere, ex quo eis poſſunt futura nuptiæ placere. Sed ſigna talis placentiæ frequenter apparent in pueris ante ſeptennium. Ergo ante illud tempus poſſunt contrahi ſponſalia.

¶ 4. Præterea, Si aliqui ante ſeptimum annum contrahant ſponſalia, & poſtea poſt ſeptennium ante tempus pubertatis contrahant per uerba de præſenti, reputantur inter eos eſſe ſponſalia. Sed hoc non eſt ſecundo contractu: quia tunc non intendunt ſponſalia, ſed matrimonium contrahere. Ergo ex primo; ſic ante ſeptennium poſſunt ſponſalia contrahi.

¶ 5. Præterea, In his quæ communiter fiunt à pluribus, quod de eſt uni, ſuppletur ab altero: ſicut ſupplementum.

A a patet

patet in trahentibus nauem . Sed contractus sponsalium est quædam actio communis inter contrahentes . Ergo si vnus sit pubes, potest contrahere cum puella quæ non habet septem annos, sponsalia; quod vni deficit de tempore, alteri superabundat .

¶ 7 Præterea, Si aliqui iuxta ætatem pubertatis, quamuis ante eam contrahunt per verba de præteriti, reputatur inter eos matrimonium esse: ergo per ratione si ante septennium, dummodo sint propinqua, contrahant per verba de futuro, reputabuntur inter eos esse sponsalia .

RESPONDEO dicendum, quod septennium est tempus determinatum * à iure sponsalibus contractis, satis rationabiliter . Quia cum sponsalia sint quædam promissiones futurorum, vt dictum est; oportet quod illorum sint, qui aliquo modo promittentur: possunt: quod non est nisi illorum qui habent aliquam prudentiam de futuris *, quæ vsum rationis requirit respectu cuius triplex gradus notatur secundum philosophum in 1. Ethicorum ¶ . Primus est, cum quæ neque ipse intelligit per se, neque ab alio capere potest . Secundus status est, quo homo ab alio capere potest, sed ipse per se non sufficit ad considerandum & intelligendum . Tertius est, cum homo & ab alio iam capere potest, & per seipsum considerare . Quia ratio paulatim in homine conualescit, secundum quod quietantur motus & fluxibilitas humorum: primum statum rationis obtinet homo ante primum septennium: & propter hoc illo tempore nulli contractui aptus est, & ita nec sponsalibus . Sed ad secundum statum incipit peruenire in fine primi septennij: vnde etiam tunc temporis pueri ad scholas ponuntur . Sed ad tertium statum incipit homo peruenire in fine secundi septennij, quantum ad ea quæ personam ipsius pertinent, in quo ratio naturalis eius conualescit, sed quantum ad ea quæ extra ipsum sunt, in fine tertij septennij: & ideo ante primum septennium nulli contractui homo aptus est . Sed in fine primi septennij

*in decretal. lib. 4. tit. 2. c. 5. et Gratian. in decr. 20. q. 2. in initio. ¶ ar. præced. * 2. 2. q. 189. ar. 5. corp. ¶ l. b. 1. c. 4.*

Septennium futurum dicitur in vinculo de ideo in fine septennij, quæ rem, vnum et leges in post. Ad pueritatem vel alterum est, ad eum. Et in istis contractibus quos non de his quæ ad se quod ille non nec varem cum corrumptum C. nulli si tamen igne peccatis; sed maior autem dicitur primum primum in futurum. Ad tertium matrimonium de vias

Septennij incipit esse aptus ad aliqua promittenda in futurum, præcipue de his ad quæ ratio naturalis inclinatur magis: non autem ad obligandum se perpetuo vinculo, quia adhuc non firmam habet voluntatem: de idè tali tempore possunt contrahi sponsalia. Sed in fine secundi septennij iam potest obligare se de his, quæ ad personam ipsius pertinent, vel ad religionem, vel ad coniugium. Sed post tertium septennium etiam potest de alijs se obligare; & secundum leges constituitur ei potestas de rebus suis disponendi post * vigesimum secundum annum.

Ad primum ergo dicendum, quod si ante annos pubertatis fiat contractus sponsalium per alium,ambo, vel alter, reclamare possunt: vnde nihil tunc actum est, adeo quod nec aliqua affinitas ex hoc contrahatur. Et idè sponsalia quæ inter aliquos per personas alias contrahuntur, robur habent in quantum illi inter quos contrahuntur, ad ætatem debitam venientes, non reclamant, ex quo intelliguntur consentire de his quæ per alios facta sunt.

Ad secundum dicendum, quod quidam dicunt, quod ille puer, de quo Greg. * narrat, non fuit damnatus nec mortaliter peccauit: sed visio illa fuit ad mortem contristandum, qui in puero illo peccauerat, non corrigens eum. Sed hoc est expresse cõtra intentionem Gregor. † dicentis, quod pater pueri animam vituli filij negligens, non paruum peccatorem generauit ignibus nutrit. Et idè dicendum, quod ad peccatum mortale sufficit etiam consensus præterit, sed in sponsalibus est consensus in futurum; maior autem discretio rationis requiritur ad prouidendum in futurum, quàm ad consentiendum in actum præsentem: & idè ante potest homo peccare mortaliter, quàm possit se obligare ad aliquod in futurum.

Ad tertium dicendum, quod in tempore contractus matrimonij non solum requiritur dispositio ex parte vias rationis; sed etiam ex parte corporis, vt

*Al. vige-
mũ quin-
tum.
in decr.
lib. 4. tit.
2. c. 1.*

*loco in ar-
g. 2. no-
tato.*

*† lib. 4.
dialog. 6.
18.*

fit tempus generationi aptum . Et quia puella in ra-
anno ad hoc venit , vt possit esse actui generationis
apta; puer autem in fine secundi septemij , vt Philo-
sophus ait in 9. animalium * . Simul autem vsus dis-
cretionis accipiunt , qui tantum in sponsalibus requi-
ritur : idèd in sponsalibus determinatur vnum tempus
vtrique * , non autem in matrimonio .

*lib. 7. de
his ani-
malium,
in prin.
In decre-
tal lib. 4.
tit. 2. c. 2.*

Ad quartum dicendum , quòd illa placencia , qua
est in pueris ante septennium , non procedit ex per-
fecto vsu rationis , cum nondum susceptibiles sint
plenæ disciplinæ : sed magis contingit ex motu matu-
ritatis , quàm ex aliqua ratione : & idèd non sufficiunt
placencia ad sponsalia contrahenda .

Ad quintum dicendum , quòd quamuis per secun-
dum contractum in casu illo non faciant matrimonium
tamen ostendunt se ratam habere priorem promissio-
nem : & idèd prior contractus accipit firmitatem ex
secundo .

Ad sextum dicendum , quòd trahentes nauem agunt
per modum vnius causæ ; & idèd quod deest vni , potest
suppleri ex altero : sed sponsalia contrahentes agunt
vt distinctæ personæ , quia sponsalia nõ nisi inter duo
esse possunt : vnde in vtroque requiritur , quòd sit suffi-
ciens ad contrahendũ ; & idèd defectus vnius spon-
salia impedit , nec ex altero potest suppleri .

*lib. 2. tex.
56.*

Ad septimum dicendum , quòd in sponsalibus eum-
dem modum si appropinquant contrahentes ad tempus
septennij , contractus sponsalium habet robur : quia se-
cundum Philosophum in 2. Physic. * quod pars
deest , quasi nihil deesse videtur . Hæc autem propo-
sitas à quibusdam determinatur tempus sex mensium
sed melius est quod determinetur secundum condi-
tionem contrahentium , quia in quibusdam magis ac-
celeratur vsus rationis , quàm in alijs .

ARTIC. III.

480

Verum Sponsalia dirimi possint ?

AD tertium sic proceditur . Videtur , quòd spon-
salia dirimi non possint , altero religionem tra-
nsmittente .

ante. Quia de pecunia quam alicui promisi, non possum alteri licite obligationem facere. Sed ille qui sponsalia contrahit, corpus suum promittit mulieri. Ergo non potest se offerre Deo ulterius in religione.

¶ 2 Item, Videtur quod non debeant dirimi, quando alter coniugum ad longinquam regionem se transfert. Quia in dubijs semper tutior pars est eligenda. Sed tutius esset, quod eum expectaret. Ergo tenetur eum expectare.

¶ 3 Item, Videtur quod nec dirimantur per agri-
indinem, quam aliquis incurrit post contracta spon-
salia. Quia pro pena nullus debet puniri. Sed vir qui
infirmitatem incurrit, punitur in hoc quod ei ius suū
debetur, quod in illam habebat quae sibi fuerat de-
ponsata. Ergo propter corporalem infirmitatem non
debent sponsalia dirimi.

¶ 4 Item, Videtur quod nec propter affinitatem
interuenientem, utpote si sponsus consanguineam
sponsae fornicario concubitu cognoscat. Quia secun-
dum hoc sponsa puniretur pro peccato sponsi; quod
non est conueniens.

¶ 5 Item, Videtur quod non possint se inuicem
dissolvere. Quia hoc est maxima leuitatis, ut primo
contrahant, & postmodum se absoluant. Sed talia non
debent ab Ecclesia sustineri. Ergo &c.

¶ 6 Item, Videtur quod nec propter alterius for-
mationem. Quia per sponsalia vnus non accipit ad-
de potestatem in corpus alterius; & ita videtur quod
nullo contra inuicem peccent, si interim forni-
cantur. Ergo sponsalia dirimi non debent per hoc.

¶ 7 Item, Videtur, quod nec per contractum cum
tertia per verba de presenti. Quia secunda venditio non
derogat venditioni prima. Ergo nec secundus con-
tractus potest derogare primo.

¶ 8 Item, Videtur quod nec per defectum ætatis
possint dirimi. Quia quod non est, non potest dissolui.
Et ante ætatem determinatam nulla fuerunt sponsa-
lia. Ergo dirimi non possunt.



*in argu-
mentis om-
nibus hu-
ius arti. ci-
entis.*

RESPONDEO dicendum, quòd in omnibus prædictis * casibus sponsalia contracta dirimuntur, sed diuersimode: quia in duobus, scilicet cum quis ad religionem confugit, & cum alter coniugium cum altero per verba de præfenti contrahit; ipso iure sponsalia dirimuntur. Sed in alijs casibus dirimi debent secundum iudicium Ecclesiæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd talis promissio soluitur per mortem spiritualem, cum sit spiritalis tantum, vt dicitur *.

q. 61. a. 2.

Ad secundum dicendum, quòd dubium illud determinatur ex hoc, quòd alter non comparet tempore statuto ad matrimonium perficiendum. Vnde si ex parte eius non defuit, quin matrimonium completum potest licite alteri nubere sine aliquo peccato. Si autem per eum stetit, quòd matrimonium non est completum, debet agere pœnitentiam de peccato fratræ promissionis, aut iuramenti, si iuramentum interuenit; & contrahere potest cum alia, si vult, iudicio Ecclesiæ *.

*in decr.
lib. 4. tit.
c. 5.*

Ad tertium dicendum, quòd si ante contractum matrimonium aliquam grauem infirmitatem incurrit alter eorum, inter quos sunt contracta sponsalia, quæ ipsum debilitet nimis, vt epilepsia, vel paralytis: aut eum deforme, vt abcessio nasi, vel orbitas oculorum, vel aliquid huiusmodi: aut quæ sit contra bonam prolem, vt pote lepra, quæ solet prolem inficere; possunt sponsalia dirimi, ne sibi inuicem displiceant, & matrimonium sic contractum, malum exitum sortiantur. Nec pro pœna punitur aliquis, sed ex pœna damna reportat; quod non est inconueniens.

*si 4. dec.
tit. 1. ca.
12.*

Ad quartum dicendum, quòd si sponsus cognoscit consanguineam sponsæ vel e contra, tunc dirimi debent sponsalia: & ad hoc probandum sola fama sufficit, propter scandalum vitandum. Cause enim que in futurum expectant effectus suos, impediuntur à suis effectibus, non solum ex eo quod est, sed ex eo quod futurum est. Vnde sicut affinitas, si esse tempore con-

tractus sponsalium, impediisset contractum illum: ita si interueniat ante matrimonium, quod est effectus quidam sponsalium, prior contractus ab effectu suo impeditur. Nec in hoc aliquid detrahitur alteri, immo ei confertur: quia absoluitur ab eo, qui per fornicationem se Deo odiosum reddidit.

Ad quintum dicendum, quod quidam non recipiunt illum casum: sed contra eos est Decret. * quod expresse dicit, Ad instar, inquit, eorum qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eamdem sibi remittunt, potest in patientia tolerari, si mutuo se absoluant qui sponsalia contraxerunt. Sed ad hoc dicunt, quod Ecclesia magis hoc sustinet, ne peius conueniat, quam hoc sit de iure. Sed hoc non videtur exemplo conuenire quod Decret. adducit. Et ideo notandum, quod non semper est leuitatis retractare, expressius firmata sunt: quia incertæ sunt prouidentie viæ, vt dicitur in lib. Sapientie *.

Ad sextum dicendum, quod quamuis nondum detrahit sibi mutuo potestatem corporis sponsalia contrahentes, tamen ex hoc efficiuntur sibi inuicem sibi de non seruanda fide in futurum; & ideo potest sibi præcauere vnus contra alium, sponsalia dicendo.

Ad septimum dicendum, quod ratio illa teneret, si esset vniuersalis rationis vterque contractus: sed secundum contractus matrimonij est fortior primo, & ideo vniuersum ipsum.

Ad octauum dicendum, quod quamuis non fuerint sponsalia, tamen fuit ibi quidam sponsalium motus: & ideo ne videatur approbare, ad annos legitimos veniens, debet petere solutionem sponsalium iudicio Ecclesie faciendam, propter bonum exemplum.

Q V Æ S T. XLIV.

De matrimonij definitione, in tres articulos diuisa.

¶ Primum considerandum est de ratione matrimonij.
¶ Circa quod quærentur tria.
¶ Primum, vtrum matrimonium sit in genere coniunctionis?

lib. 4. dec.
tit. 1. c. 2.

cap. 9.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN